INDEX SCHOLARUM

PUBLICE ET PRIVATIM
IN ACADEMIA
GEORGIA AUGUSTA
PER SEMESTRE HIBERNUM
A D. XV. M. OCTOBRIS A. MDCCCLXIV. USQUE AD
D. XV. M. MARTII A. MDCCCLXV. HABENDARUM.



Praemissa est Hermanni Sauppii commentatio de T. Lucretii codice victoriano.

GOTTINGAE
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.
GUIL. FR. KAESTNER.

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE
PRORECTOR
AEMILIUS HERRMANN D.
CUM SENATU.

Carolus Lachmannus, vir immortalis memoriae, in commentario carminis lucretiani tria codicis archetypi saeculo quarto quintove conscripti docuit saeculo nono apographa exstitisse eorumque unum eum ipsum esse codicem prius maguntinum, nunc lugdunensem, quem *Oblongum* dicit, alterum a Francisco Poggio Florentino in Italiam delatum esse, tertii propagines et lugdunensem alterum, quem *Quadratum* vocat, et schedas quasdam havnienses et vindobonenses esse. Haec fundamenta artis criticae in Lucretii libris de rerum natura faciundae certissima esse quicunque artis non imperiti sunt consentiunt, sed ut alterius codicis, deperditi illius, ut videtur, cuius Lachmannus apographum ab Antonio Marii F. notario Florentino circa annum 1440 scriptum noverat, notitiam paulo pleniorem nancisceremur per codicem monacensem 816. a, saeculo quinto decimo in chartis pergamenis satis eleganter scriptum, qui olim Petri Victorii fuit, effectum est. De quo cum primus L. Spengel (Gelehrte Anzeigen d. K. bayer. Akademie der Wiss. Vol. 33 p. 772 sqq.) monuisset, accuratius deinde G. Christ (quaestiones lucretianae. Monachii 1855), Eduardus Goebel (de schedis vindob. et codice victor. Lucretii, in Mus. rhen. 12 p. 449 sqq. quaestiones lucret. criticae. Iuvaviae. 1857. Zur Texteskritik des Lucrez, in Mus. rhen. 15 p. 401 sqq.), Theodorus Bergk (in annal. philologiae vol. 83 p. 316 sqq.) exposuerunt. Quamquam in eo codice Italorum, apud quos recens allati studia poetae laetissime illis temporibus floruisse intelligimus, coniecturae permultae habentur, archetypon tamen simillimum Oblongi fuisse cum ab eis, quos nominavi, luculenter demonstratum est, tum ipse cognovi, cum hieme a. 1862/3 sodalibus seminarii regii philologici Lucretii carmina explicanda propositurus a Caroli Halmii, hominis amicissimi, insigni benevolentia facile impetrassem, ut codicis illius gravissimi diutius hic meis oculis usurpandi mihi copiam faceret. Unum addo, quod ab aliis nondum quod sciam animadversum coniecturam de victoriani codicis origine propositam valde confirmet. Post l. 3 enim v. 360 versus novem scripti sunt, quos delendos esse homo quidam doctissimus in margine monuit, qui versus 403—411 per errorem hic illatos esse vidisset. Ratione autem subducta inter v. 360 et 403 versus bis vicenos senos interpositos esse invenimus, ut facile intelligamus in singulis archetypi paginis

versus vicenos senos scriptos fuisse eiusque inter scribendum cum unum vellet scriptorem victoriani duo folia vertisse. In archetypo vero Oblongi C. Lachmannus ostendit p. 3. 49. 233. aliis locis eandem versuum rationem fuisse.

Verum enim vero aliud fuit, quod mihi cum codicem aliquamdiu versavissem admodum memorabile visum est. Neque enim in eo primitus tantum scribendo librarius permulta admisit, quae vel in codice archetypo similiter atque in Oblongo atque Quadrato inter versus aut in marginibus correcta essent vel Itali homines postea feliciter infeliciter ad verba poeta integritati restituenda contulissent, sed etiam postquam codicem scripsit, multa ipse correxit, quae parum recte descripsisset vel alius apographi ope vel sua aliorumve coniectura fretus sibi emendare posse videretur. Sed multo plura alia manus recentior correxit. Ea omnia, vera falsa, gravia levia, sive ad versus complures, transponendos illos delendos addendos, sive ad singulas literas pertinent, cum paucis exceptis in editione Philippi Giuntae Florentiae anno 1512 impressa exstare animadvertissem, accurate mihi huius mirae prorsus convenientiae ratio et origo investiganda esse visa est. Ac Petrus Candidus, qui iuntinam curavit, Thomae Sotherino haec scribit: 'operae pretium facturum me existimavi, si vetustis, quae in nostra urbe — nacti sumus, collatis exemplaribus praestantissimorumque aetatis nostrae vatum Pontani Marullique obelis temere inducta expungendo adhibitis tam putida in eleganti poeta manantia ulcera — penitus radicitusque exantlarem'. Deinde addit: 'Marullus sane, amicus olim noster iucundissimus, cuius in hoc opere censuram potissimum secuti sumus, lucretianae adeo veneris per omnem aetatem studiosus fuit, ut nuspiam fere non eo comite itaret, nunquam cubitum nisi perlectis aliquot exploratisque Cari carminibus sese reciperet. Quin etiam ex miseranda illa in mediis Cecinae undis latinarum musarum iactura cladeque insigni unus est Lucretius receptus'. Deinde sub finem libri in brevi eorum, quae in editione novasset, indice ad 1,551 scripsit: 'Non te praetereat studiose lector Marulli nos hoc loco ordinem, atque item alibi in plerisque, ubi immutatum quid offenderis, secutos esse'. Quae quanquam per se satis probabile reddunt, quascunque epanorthoses manus recentioris in codice victoriano lectionibus iuntinae congruentes esse intelligimus, ad Marullum referendas esse, tamen, cum Petrus Candidus se etiam Ioviani Pontani curis usum esse tradiderit, accuratius videtur illud demonstrari oportere.

Ac primum quidem quaecunque P. Candidus ad calcem libri sui nominatim Marullo tribuit, in codice victoriano aut a priore manu exstant, non illa recentiore manu mutata, aut a correctore vel scribendo vel radendo vel expungendo illata esse reperiuntur. 1, 220. 249: 'discidium parere, agnoscit Marullus. Sic uti mox discidio redeunt, et in sequentibus haud temere aliter, a verbo scindo. alii dissidium legunt, et dissidio'. P. C. *discidium* et *discidio* V pr. m. — 1, 243. 'Vis deberet dissolvere quaeque. quenquam agnoscit Marullus, et ad contextum utique refertur'. PC. *queque* V pr. m. quas literas punctis subiectis delendas esse rc. m. significavit, *quenquam* supra addidit. — 383. 'Unde initum primum capiat res quaeque.

Initium agnoscit Marullus extrito videlicet i in scansione, ut alibi in verbis sterilia et oriundi.' P. C. *initium* V pr. m. cum Oblongo et Quadrato. Correctorem *i* literam primum delere voluisse vestigia prope evanida exstant, deinde vero retinuit, hac adscripta in margine adnotatione 'nota unde initium primum. Sic et horatius [3. 6, 6] hinc omne principium huc refer exitum.' — 407. 'Sic alid ex alio. Marullus legit alid.' P. C. *alid* V pr. m. — 466. 'Ne forte haec per se cogant nos cuncta fateri. alii contra fateri. Marullus esse agnoscit'. P. C. *nos esse fateri* V pr. m. — 550 — 635. In Iuntina hi versus hoc ordine se excipiunt: 550. 565 — 576. 584 — 634. 577 — 583. 551 — 564. 635, de quo ordine P. Candidus in extremis paginis ea dicit, quae supra adscripsi. In marginibus codicis Victoriani signis quibusdam appositis corrector hunc ipsum ordinem instituendum esse indicavit. Erravit enim G. Christius p. 13, quod v. 551 — 564 modo post v. 583 transpositos esse dixit; recte quid corrector voluisset Th. Bergkius exposuit l. d. p. 318 sq. — 662. 'Nil ab se quod possit mittere raptum. Quidam raptim agnoscunt. Marullus, natum.' P. C. *raptum* V pr. m., *natum* rc. m. *raptim* Avancius in aldina priore a. 1500 dederat. — 688. 'Praeterea rei quae corpora mittere possit. Reii ubique scriptitat Marullus, et item eii.' P. C. *reii* in V pr. m. omissum addidit rc. m., in mg. his additis verbis: 'reij debet scribi'. Sic 2, 1134 cum in V pr. m. *eius* fuisset, rc. m. *eii* substituit. — 2, 42. 'Subsidiis magnis Epicuri constabilitas. Marullus carmen hoc expungit. Nam illud, ornatas armis statuas, stanteisque animatas, procul dubio subditicium est.' P. C. In V cum pr. m. hos versus scripsisset, rc. m. expunxit. — 269. 'Ut videas initium motus. Initium agnoscit Marullus, ut supra in primo libro.' P. C. *initium* V pr. m. in mg. hac adnotatione addita: 'nota initium ut supra.' quanquam deinde alio atramento *i* litera puncto, quod vix dignoscere queas, notata est. — 3, 641. 'Permista caede cadenteis. alibi cadentum, Calenteis agnoscit Marullus'. P. C. *calentis* V. Terminationem, quae est *eis*, suo periculo P. Candidus fere semper restituit. — 4, 1023. 'Tum quibus aetatis frit. Haec est Marulliana lectio. rursusque item in sexto. Nanque frit ipse anni. Est autem frit in summa iam matura spica id, quod minus est, quam granum. Nonnulli hic legunt freta. Sicuti in sexto fretus. quae mihi voces neutiquam probantur.' P. C. *freta* V pr. m, *frit* rc. m. Item 6, 364 *fretus* V pr. m., *frit* rc. m. — 5, 50. 'Expulerit dictis, non armis. nonne decebat. aris, agnoscit Marullus, non armis.' P. C. *armis* V pr. m., *aris* rc. m. — 310. 'Numen fati procellere fineis. Protelere agnoscit Marullus.' P. C. *protollere funus* V pr. m. *protelere finis* rc. m. In mg. 'protelo, is.' Existimavit igitur corrector pro eo, quod apud Festum p. 234 M., Turpilium, Sisennam, Lucilium (Nonius p. 363, 12 sqq.), Terentium (Phorm. 1. 4, 36) est, *protelare*, Lucretium *protelere* dixisse, quo quidem exemplo et Lucretius ipse *lavere* 5, 950 ac 3, 873 *sonere* posuit, et *tonimus* Varronem in Eumenidibus (frg. 36), *nictit* Ennium A. 346 V., *neximus* Attium in Deiphobo (frg. 3) dixisse grammatici veteres testantur (cf. F. Neuius de formis sermonis latini 2 p. 321 sqq.). Meminerat vero ille, nisi fallor, apud posteriores *protelare* interdum dici pro differendo (cf. Duker. opusc. var. p. 331 sq.). — 6, 332. 'Fugit ac penetrat per strata viarum. Alii per rara viarum legunt, per

aperta alii. Marullus per operta.' P. C. *per rara* V pr. m., *per operta* rc. m. — 544. 'Terra superne tremit. Sic Marullus agnoscit correpta utique ne syllaba, sicuti alibi inferne.' P. C. *superne* V, in mg.: 'superne e brevi.' Etiam ad v. 187, in quo versu cum a pr. m. *inferna* scriptum fuisset, rc. m. *inferne* substituit, in mg. adnotatum est: 'inferne ultima brevi'., deinde ad v. 597: *tecta superne timent, metuunt inferne cavernas* in mg. rc. m. scripsit: 'inferne et superne ultima brevi'. — 619. 'At pelagi multa et late. Pelage agnoscit Marullus. a graeco, *τὰ πελάγη*.' P. C. *pelagi* V pr. m., *pelage* rc. m., in mg. *πελάγη*. — 1133. 'Natura ultro corruptum. Naturam intro agnoscit Marullus. et verior est lectio.' P. C. Versus 1088 – 1189, h. e. duo folia, in codice victoriano perierunt; errat enim G. Christius (p. 4.), quod duas tantum paginas intercidisse perhibet. Pontani nomen P. Candidus semel commemorat, ad l. 1 v. 175: 'Vites autumno fundi sudante videmus. Uvas Pontanus agnoscit, et suadente. Quae quidem duae voces neutiquam nobis improbantur.' V: *vites autumno fundi suadente videmus.*

Deinde G. Christius (p. 9) duobus exemplis editionis venetae a. 1495 in bibliotheca monacensi asservatis usus est, quorum priori P. Victorius se testatur Pontani emendationes adscripsisse, in alterius pagina extrema haec scripsit: 'Contuli cum duobus codicibus, altero Joviani Pontani, altero vero Marulli poetae Bizantii, impressis quidem, sed ab ipsis non incuriose, ut patet, emendatis, quos commodum accepi ab Andrea Cambano patritio Florentino MDXX Idibus Martiis'. In hac editione 1, 890 teste Christio P. Victorius a Marullo sic scriptum esse adnotavit: *dispertita atque in terris* —. V habet a pr. m.: *Dispartita ac interris latitare minute*, rc. m. *dispertite.* P. Candidum, cum scriberet *dispertita esse, ac in terris*, — quod iure Lachmannus Marullo tribuere dubitavit, illud *dispertita* non recte dixeris interpretatum esse. — Deinde 4, 1191 *praetermittere et humanis* Victorius Marullum scripsisse testatur. In Iuntina est *praetermittet te humanis*, sed cum in V a pr. m. exstaret *praetermittere humanis*, rc. m. addidit *et*, id quod sibi primus videbatur Lachmannus invenisse. — Denique 6, 568 Marullo P. Victorius tribuit *venti vis.* V pr. m. *quod nisi respirent ventis, vi nulla refremet*, rc. m. *venti*, *vis.* In Iuntina est: *quod nisi respirent venti, non ulla refrenet.*

Quae vero Christio teste P. Victorius Ioviani Pontani esse dicit, ea in codice victoriano non habentur. 1, 666 Pontanus *in coetu*, V *in tectus*, in mg. *in coetus*, quod P. Candidus secutus est. — 954. Pontanus *necne sit evolvamus*, V pr. m. *nec si te volvamus*, rc. m. *hec sic evolvamus*, idem iuntina. — 2, 205 Pontanus *quantum est in se*, V pr. m. *quantum inest*, rc. m. *quantum in se est.* Item in v. 247; in v. 190 vero *quantum in se est*, v. 201 *quantum est in se.* P. Candidus omnibus his locis V secutus est, v. 205 et 247 rc. m. Nescio, quomodo H. Purmannus (novae symbolae p. 35) *quantum inest* defendere potuerit. — 941. Pontanus *haec congressa*, V et iuntina *nec congressa.* — 1094. Pontanus *quae placidum degunt aevum vitamque serenam*, V pr. m.: *que placido degunt evo multamque serenam*, rc. m. *multumque sereno*, quod P. Candidus recepit. Quod Pontano Victorius tribuit, H. Avancius in aldina a. 1500 dedit. — 3, 861. Pontanus *misere* (Christius

per errorem *miseri*) *si forte egreque futurum est*, V pr. m. *miser est forte egre futurumst*, rc. m. (et iuntina) *misere cum forte egreque futurumst.* — 994. Pontanus *scindunt cuppedine curae*, V (et iuntina) *scindunt turpedine curae.* — 5, 690. Pontanus *distinet aequato caelum discrimine metans*, V pr. m. *distinet aequato caelum discrimine metas*, rc. m. (et iuntina) *caeli.* Intelligimus igitur eorum, quae Victorio teste Iovianus Pontanus correxerat, correctorem victoriani nihil quidquam novisse, quae Marulli esse perhibentur, omnia cognita habuisse. Nam quod 1, 890 differt correctoris lectio *dispertite ac in terris* a marulliana Victorii coniectura *dispertita atque in terris*, videtur ita explicari posse, ut Marullo alio tempore aliud in mentem venisse existimemus, alteram vero coniecturam in editione illa, quam ab Andrea Cambano Victorius commodatam acceperat, adnotatam fuisse, alteram in codice, de quo agimus. Adolescens vero Petrus Victorius unius et viginti annorum fuit, cum coniecturas illas in editionem Venetam a. 1495 transscripsit.

Porro C. Lachmannus ad l. 3 v. 98 tribus locis versus singulos ab Hieronymo Avancio primo in aldina a. 1500 additos esse docet, sed corruptos eos et sensu cassos, cum in iuntina emendati habeantur. Sic Avancius ante 3, 98 hunc habet: *Quamvis multa quidem sapientum turba putaret*, at recte iuntina: *Quamvis multa quidem sapientum turba putarunt.* — Post 4, 100 *Nam cur illa cadant magis ab rebusque recedant* apud Avancium haec adduntur: *corpora, res multas quae mittunt corpore aperto*, nullo sensu, rectius Iuntina: *corpora, res multae quae mittunt corpore aperto.* Denique versui 530 l. 4: *scilicet, expletis quoque ianua redditur oris* Avancius hunc subiecit: *rauca suis, et iter reddit qua vox it in auras*, quae sensu carent, sed ubi in iuntina hunc versum sic scriptum esse comperimus: *rauca viis, et iter laedit, qua vox it in auras*, facile intelligimus, et quid auctor secutus sit et quae in aldina a. 1500 habentur turpi errore Avancii literas aliquot non recte interpretati orta esse. In V vero his locis versus novicii in margine adscripti sunt eisdem literis omnibus, quibus in iuntina constant. Iam cum P. Candidum etiam hos versus Michaeli Marullo, quem potissimum ducem se secutum esse identidem profitetur, acceptos debuisse veri simillimum sit, Lachmannus Avancium et hos ipsos et permultas emendationes alias, quae et in illius editione et in iuntina reperiuntur, in exemplari a Marullo expolito reperisse suo iure iudicavit, sed sibi potius quam Marullo adscribi voluisse. Neque est, cur miremur, quomodo Avancius exemplum aut a Marullo ipso emendatum aut in quo eius emendationes adnotatae essent nancisci potuerit. Nam Lucretii studio et amore tum per omnes Italiae urbes animi hominum ingeniosissimorum et eruditissimorum tenebantur et Michaelis Marulli nomen laudatissimum eiusque studia lucretiana notissima erant. Consuetudo vero illorum temporum ferebat, ut libri vel scripti vel impressi rariores aut emendatiores amicis et hominibus eorundem studiorum communione coniunctis saepissime commodarentur et commodati acciperentur. Etiam Ioannes Baptista Pius in editione bononiensi a. 1511 (praef. fol. 1 verso): 'Marullique poetae', inquit, 'industria mira castigatum non defuit exemplar Severo Monaco Placentino graece latineque perdocto musarum athleta non gravatim offerente.': quanquam tres versus, de quibus modo diximus, non

minus corruptos dedit, quam Avancius. Marullum vero aut ipsum in pluribus libris emendationes suas adnotasse aut complura exstitisse exemplaria, in quibus eae ab aliis diligentius negligentiusve adnotatae essent, collata Victorii veneta a. 1495 cum eo exemplari, quod a Petro Candido versatum esse sumendum est, docuisse nobis videmur.

Sed quo tandem tendit haec nostra omnis disputatio? Nimirum ut ostendamus correctorem, qui summa diligentia in codice victoriano emendando elaboravit, Michaelem Marullum ipsum fuisse. Nam inter Petri Candidi editionem, qui quidem se Marulli maxime vestigia pressisse dictitet, et eam formam librorum lucretianorum, quam correctorem illum aut corrigendo verba in codice primitus scripta aut non corrigendo constituere voluisse intelligimus, paucis quibusdam exceptis, quae Pontano tribuenda fuerint, tam mirus est consensus, ut aut Marulli emendationes omnes admirabili prorsus accuratione in codicem victorianum ex eo ipso libro, quo Candidus usus est, transscriptas esse existimandum sit aut Marullum ipsum sua manu codicem victorianum correxisse concedi necesse sit. Ac prius illud eo minus veri simile est, quod etiam recensionem priorem codicis eius, ex quo emendationes transscriberentur, prorsus congruisse recensioni priori codicis victoriani necesse esset. Nam quanquam codicem eum, ad quem victoriani origo referenda est, Oblongi simillimum fuisse satis constat, multas tamen Italorum coniecturas, quae vel in Antonii Marii Filii codice (cf. 5, 2 *maiestatisque,* 12 *locavit,* 14 *Ceres,* 30 *Stymphala*) aliisve similibus originis italicae (5, 33 *acerba,* 35 *occeanum propter litus pelagique sonora,* 38 *si,* 67 *materiai,* 121 *sermone,* 142 *glebis,* 208 *bidenti*) exstare perhibentur vel in aliis codicibus exstare non videntur (5, 34 *stirpem,* 349 *videmus,* 614 *et recta,* 675 *fulmina*), receptas esse non minus certum est. Itaque consensum illum iuntinae et victoriani ita tantum explicare possemus, ut aut recensionem victoriani priorem priori eius, ex quo emendationes marullianae transscriberentur, prorsus congruisse sumeremus, quod ab omni veri similitudine abhorret, aut etiam hanc diversitatem diligentissime adnotatam esse existimaremus, quod prorsus ab consuetudine illius aetatis alienum est. Sed etiam alio modo demonstrari potest, hoc ipso codice victoriano Petrum Candidum usum esse ex eoque Marulli emendationes cognovisse.

Sunt enim, quae, cum a correctore Victoriani aut recte aut certe ita, ut bene intelligi possint et legibus numerorum satisfaciant, correcta sint, P. Candidus recipere illa quidem voluisse videatur, sed re aliqua minuta neglecta ita dederit, ut aut sententiarum ratio non constet aut contra leges numerorum peccetur. Sic 5, 45 cum in Oblongo et Quadrato *cuppedines* sit, Itali *cupidinis,* V pr. m. *cupidines* habent, P. Candidus *cupedinis* scripsit, sed rc. m. in V recte non tantum literam *i* mutaverat in *e* et litera *e* deleta *i* superscripserat, sed etiam alteram *p* addiderat, quod D. Lambinus demum fecisse nunc perhibetur. Similiter 6, 25 *cupedinis* Quadratus, *cupidinis* V pr. m., *cupedinis* iuntina, *cuppedinis,* quod etiam in Oblongo est, recte V rc. m. Etiam 4, 1090 *cupedine* iuntina, *cupidine* V pr. m, *cuppedine* V rc. m. Eadem ratio est 1, 1080. — 5, 241 V pr. m. *corpore nativum mortalibus esse figuris* cum correctore Oblongi, iuntina *corpore nativo immortalibus esse figuris,*

nullo sensu, sed V rc. m. *corpore nativo in mortalibus esse figuris*, quod, quanquam rectius A. Naugerius coll. v. 238 *nativo ac mortalibus* scripsit, haud imperite inventum est. Candidus sibi videbatur *inmortalibus* legere. — 5, 1081. *et partim mutant* (volucres) *cum tempestatibus una raucisonos cantus, cornicum ut saecla vetusta corvorumque greges ubi aquam dicuntur et imbris poscere.* In his verbis A. Naugerius *ut* invenit, cum in codicibus (etiam in V) *et* esset. Eam particulam cum rc. m. in V delevisset, in iuntina omissa est. Sed quod hac coniectura admissa necessarium est, ut pro *ubi* in versu proximo *uti* scribatur, id P. Candidus non animadvertit recte a correctore Victoriani litera *t* supra *b* addita monitum esse. — 5, 1323. V pr. m. cum Oblongo et Quadrato *cornibus et terram minitanti mente ruebant*, V rc. m. *cornibus, ad terramque minanti mente ruebant*, sed P. Candidus, cum non animadvertisset literas *it* vocis, quae est *minitanti*, expunctas esse, scripsit *cornibus, ad terramque minitanti mente ruebant*, cui *minanti* A. Naugerius primus in aldina secunda substituisse existimatur. — 5, 515. *Aut alium subter contra quis subvehat orbem* iuntina. Cum in V pr. m. esset *aut alium subter contra quis subeat orbem*, rc. m. rectissime *qui subvehat*, sed literam *s* deletam esse Candidus non animadvertit. — Porro versus 2, 40—46, et gravissimi illi et difficillimi, in iuntina sic scripti sunt:

Si non forte tuas legiones per loca campi
Fervere cum videas belli simulacra cientes.
His tibi cum rebus tumefacto relligiones
Effugiunt animo pavidae, mortisque timores,
Tum vacuum tempus linquunt, curaque solutum.

Accuratissime reddidit omnia, quae correctorem Victoriani scribi voluisse intelligimus: omisit enim versus duo, quos inter 41 *Fervere* et 44 *His tibi* et in Oblongo et in Victoriano interpositos corrector expunxerat, de qua re supra dixi, dedit *tumefacto*, cum V pr. m *timefacte* habuisset, et *animo*, cum pr. m. *animi* scripsisset. Sed unum non animadvertit, in v. 44 pro v. *cum* erasa leviter litera *c tum* substitutum esse, atque ita effecit, ut quae dedisset intelligi non possent. — 1, 1068 et proximorum P. Candidus pariter atque ante eum Avancius et Pius fecerant supplementa ea recepit, quae in codice Victoriano a correctore scripta exstant. Sed v. 1073 sic dedit *Quam quavis alia longe ratione manere*, cum Avancius et Pius *quam quavis alia longe regione manere*, id quod recte Lachmannus aliquanto melius esse iudicavit. Nimirum evanidis prope literis corrector pro v. *ratione*, quod in codice esset, *regione* scribendum esse monuit, id quod P. Candidi oculorum aciem effugit. — 5, 301 sq. P. Candidus dedit:

Usque adeo properanter ab omnibus ignibus eius
Exitium celeri celeratur origine flammae.,

nullo sensu. Sententiam restituerunt Avancius alii *toleratur* scribendo, sed facillimam emendationem, quam Madvigius et Lachmannus nunc primi invenisse existimantur, Candidus non viderat a correctore Victoriani ministrari, qui literis *er* punctis subter notatis *celatur* legendum esse indicavit. Quae praeterea ille correxerat, *properanter*, pro eo quod a pr. m. fuerat *properarent*, et *eius*, cum fuisset pariter atque in Oblongo et Quadrato *ei*

(pro quo prius correctorem *eii* scribere voluisse, deinde *i* supra scriptum erasisse opinor), ea Candidus recepit. Puncta vero illa tam evanida sane sunt, ut dignosci vix queant. Conferri cum his, quae enumeravi, etiam ea possunt, quae supra a Candido praetermissa esse vidimus: 4, 1191 *et humanis* et 6, 568 *venti vis*.

Itaque iam eo res deducta est, ut mihi videar iure dicere posse *codicem victorianum aliquando Michaelis Marulli fuisse et, quaecunque in eo codice manu recentiore correcta animadvertimus, Marullum correxisse.* Ac nunc ipsum quidem in Vilelmi Christii verba incidi, qui se quoque dicit (quaest. lucret. p. 7) aliquando idem suspicatum esse, sed deinde eam sententiam abiecisse, neque enim verisimile esse, Marullum 3, 887 in verbis *stansque iacentem se lacerari urive dolere* scripturum fuisse *dolore*, deinde 6, 878 *glaciem venasque relaxat*, denique 6, 1217 *ne acrem exciret odorem*, si in codice, quem tractaret, scriptum reperisset *lacerari urive dolere*, *glaciem nodosque relaxat*, *ut acrem exiret odorem*, quae quidem omnia in codice victoriano a prima manu exarata exstant. Sed quod Christius Marullum facturum fuisse negat, id non minus mirum est correctorem victoriani fecisse, quem, quisquis fuit, hominem satis eruditum et ingeniosum fuisse apparet neque descripsisse tantum et describere voluisse, quae in alio codice invenisset, existimari potest. Ac videtur Marullus locis allatis tenax eorum, quae in codicibus aliis, qui propius a similitudine archetypi abessent, prius invenisset, coniecturas aliorum Italorum, Antonii Marii filii (*nodos*: cum in Oblongo et Quadrato *nobos* sit), editionis brixiensis (*exiret*: OQ *exciret* habent), aliorum (*dolere*: OQ *dolore* exhibent), sprevisse et coniecturae aleam periclitari ipse maluisse. Sive Marullus sive corrector *ne acrem exciret odorem* scribere voluit, eo magis illud mirum est, cum ad 5, 1329 *nam transversa feros exibant dentis adactus* haec in margine adnotata legamus: 'exibant. sic et virgilius *corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit*'. (Aen. 5, 438). Sed in re critica faciunda aliquando etiam acies oculorum ingeniique acerrima caecutit, haud secus atque homines etiam prudentissimos offendere in re videas, quae haud difficilis aliis esse videtur.

Itaque maiore etiam iure, quam Iosephus Scaliger ad Catulli c. 66 v. 94 (p. 93) iuntinam Marulli editionem nominat, codicem Victorianum Marulli nomine ornabimus. Eum vero postea ad Petrum Victorium devenisse cum in notissimo illo hominis nobilissimi librorum amore per se non mirum sit, tum Victorii cum Iuntarum familia, ex quorum officina paene omnes eius libri typis descripti prodierunt, diuturna coniunctio facere videtur, ut etiam faciliorem illud explicatum habeat.

Nec, si hominibus doctis de coniecturae meae veritate persuasero, operae in rebus minutissimis conquirendis positae me poenitebit. Primum enim vel illud *Suum cuique* monet, ut rectius, quam adhuc factum est, quae Marullo tribuenda sint, quae non sint, discernantur. Carolus enim Lachmannus P. Candidi professione nisus, quae in iuntina prima invenisset, omnia Michaelis Marulli esse dixit. Sed permulta eorum iam in codice suo Marullum scripta invenisse nunc intelligimus, haud pauca contra Marullum dudum recte constituisse, quae antehac alii post eum emendasse existimabantur,

eiusdem codicis beneficio discimus. Quare hanc omnem partem commentarii critici lucretiani accurate retractari oportet.

Sed etiam de Italorum studiis lucretianis universis et progressibus, qui sensim sensimque in emendandis his carminibus facti sunt, aliquanto rectius nunc iudicari potest. Neque enim tantum intelligimus Lachmanni insignem perspicacitatem fuisse, quod Marullum exemplis eius codicis laurentiani, quem H. Keilius ab Antonio, Marii filio, cive et notario Florentino, circa a. 1440 scriptum esse existimat, simillimis usum esse dixit (p. 6). Sed quae primitus in codice Victoriano scripta sunt, magnam etiam ostendunt multitudinem et diversitatem codicum fuisse ex Francisci Poggii illo in Italiam allato derivatorum. Alii ab aliis correcti erant, qui multa miro ingenii acumine atque eruditione usi praeclare integritati restituerent, multa eidem insigni audacia atque temeritate, cum sana essent, corrumperent, quae intercidisse viderentur, supplerent, locis corruptis interpolando vestigia veritatis obscurarent, ut alii deinde haec vestigia premere ausi tanquam flammis quibusdam errantibus in devia abducerentur. Ac novimus nunc quidem Antonium Florentinum, editorem exempli brixiensis ignotum, auctorem recensionis eius, quae in Victoriano fuit, item ignotum, Iovianum Pontanum, Hermolaum Barbarum, Codrum Bononiensem (cf. I. B. Pius comment. fol. II verso), Pomponium Laetum (cf. I. Casp. Orellii hist. eclogarum e Salusti hist. p. 35), Michaelem Marullum. Aliorum conamina et nomina non dubium est quin in bibliothecis lateant Italorum. Ac maxime dolendum est codicem laurentianum Nicolai Niccoli manu scriptum (cf. Lachm. p. 6) nondum a quoquam collatum esse.

Michael igitur Tarchaniota Marullus, Manilii Marulli et Euphrosynes Tarchaniotae filius, ex nobili familia constantinopolitana oriundus, cum puer patria urbe a. 1453 a Turcis expugnata profugus cum familiis paterna et materna in Italiam venisset, equestria deinde stipendia meruit, sed Ioviani Pontani disciplina usus studio idem ardentissimo in poetas latinos, Vergilium maxime et Lucretium, incubuit carminibusque latinis suis ita excelluit, ut magnum ipse inter poetas nomen haberet. Multum deinde Florentiae versatus est, cum in Laurentii Medicei favorem se insinuasset et Alexandra Scala, filia Bartolomaei, pulcritudine pariter atque carminum laude insignis, ei nupsisset. Mense Aprili a. 1500 in Cecina fluvio prope Volaterras equo, quo veheretur, collapso periit.

Multa itaque, quae Lachmannus Marullo non poterat non tribuere, codice Victoriano cognito eius non esse et ei docuerunt, quos de eo scripsisse dixi, et ego aliquot exemplis comprobavi. Sed quod Theodorus Bergkius (annall. philol. 83 p. 317 sqq.) etiam laudem transpositorum libri primi versuum 551—635 ei eripere studuit eamque ad Valerium Probum, quem notas criticas etiam Lucretio apposuisse nuper Suetonio auctore didicimus (Th. Mommsen diar. antiqu. Stud. 1845 p. 85. Bergk. ibid. p. 117. Reifferscheidii reliqu. Suetonii p. 138), pertinere autumat, videor mihi certis argumentis refutare posse. Nam cum reputarem notas, quibus in codice Marulli versus transponendos esse significatum est, si quis a Probo esse aut certe antiquitus traditas existimare voluerit, non posse in archetypo tantum codicis huius, h. e. in codice Francisci Poggii, superstites fuisse, sed etiam in

Oblongo, cuius poggianum simillimum fuisse satis certo constat, et in Quadrato, exstare necesse esse, quanquam, cum Lachmannus taceret, id parum veri simile erat, precibus tamen V. G. Pluygers, bibliothecae academiae lugdunensis praefectum, hominem eruditissimum, adii, ut codicibus illis denuo inspectis me certiorem faceret, num quid eo loco notarum illarum inveniretur. Is mihi benignitate plane singulari celerrime respondit nihil quidquam illis versibus adscriptum inveniri. Itaque rectissime P. Candidus l. d. se Marulli in eis ordinandis consilio obsecutum esse dixit, qui etiam aliis locis permultis versus vel singulos vel complures transponendos esse rectissime vidit. Hunc vero locum non prorsus recte Marullus tractasse mihi videtur. Nam Lucretius inde a v. 503 usque ad v. 634 atomos esse ostendit, solidas illas atque aeternas, in quas omnia resolvantur, ut denuo omnia ex eis reparentur. Sed et formularum ratio, quibus transitum ab uno argumento ad alterum facit, et sententiarum ratio ipsa ostendunt ordinem argumentorum turbatum esse. Ac Marullus recte videtur perspexisse, quae v. 551—564 et v. 577—583 leguntur, et nexum sententiarum turbare et arctissime inter se cohaerere, si vero inter se cohaererent, particulis, quae sunt *porro* v. 577 et *denique* v. 551, ostendi hos versus post illos positos fuisse. Sed quod Marullus v. 577—583. 551—564 post v. 634 collocandos esse existimavit, errat: nam cum eis, quae v. 631—634 leguntur:

propterea quia, quae multis sunt partibus aucta,
non possunt ea quae debet genitalis habere
materies, varios conexus, pondera, plagas,
concursus, motus, per quae res quaeque geruntur.

arctissime cohaerent ea, quibus deinde inde a v. 635—741 Lucretius Heracliti et Empedoclis sententias refutare studuit. Ac versus eos, quibus haec refutatio terminatur, v. 742—748:

primum, quod motus exempto rebus inani
constituunt, et res mollis rarasque relinquont,
aera, solem, ignem, terras, animalia, fruges,
nec tamen admiscent in eorum corpus inane;
deinde quod omnino finem non esse secandis
corporibus faciunt, neque pausam stare fragori,
nec prorsum in rebus minimum consistere quicquam,

ex Lucretii more ac consuetudine ordinem monstrare certum, quo argumenta disposuerit, Vilelmus Christius (qu. lucr. p. 13) rectissime videtur monuisse, nam etiam in eorum argumentorum multitudine, quae v. 503—634 enarrantur, haec tria genera discerni posse haud difficile est ad intelligendum. Tertio generi, quod v. 748 indicatur, vv. 599—634 respondere manifestum est: hi igitur extremum locum obtineant necesse est. Deinde versui 743 sq. paria ea sunt, quae v. 565 sqq. explicantur: itaque hos cum eis, qui similia continent, primo loco ponendos esse apparet. Restat, ut videamus, quinam versus verbis *deinde quod omnino finem non esse secandis*
corporibus faciunt neque pausam stare fragori
respondeant. Ac rectissime Christius v. 577—583 et 551—564 eos esse intellexit eosque post v. 598 *naturam* — inserendos esse censuit. Unum tamen est,

in quo haeream. Recte enim hoc novum genus argumentorum v. 577 particula *Porro* cum prioribus coniungitur, pariter atque tertium genus v. 599 particulis *Tum porro* — adnectitur; sed ferri vix potest, quod secundi generis pars altera v. 551 per particulam *Denique* — infertur. Quare ab his versibus (551—564) non divellendos esse coniicio undecim eos, qui praecedunt (v. 540—550), ita ut alterum genus argumentorum his tribus partibus contineatur: 1. *Porro* (577—583), 2. *praeterea* (540—550), 3. *denique* (v. 551—564). Itaque hos versus omnes hoc modo a Lucretio ordinatos fuisse existimo: I. 503 *Principio* —. 510. *Praeterea* —. 520. *tum porro* . 528—539. *haec neque — sint haec aeterna necessest.* 565—576. *huc accedit, uti — validasque ostendere viris.* 584—598. *denique iam — motusque parentum.* II. 577—583. *Porro si — vexata per aevom.* 540—550. *praeterea nisi — res reparare.* 551—564. *denique si — contingere florem.* III. 599—614. *Tum porro* —. 615—627. *praeterea nisi* —. 628—634. *denique ni — per quae res quaeque geruntur.*

Aliud est in his versibus, de quo explicare velim. V. 565 sqq. hi sunt in codicibus:

huc accedit uti, solidissima materiai
corpora cum constant, possint tamen omnia reddi
mollia quae fiunt, aer, aqua, terra, vapores,
quo pacto fiant et qua vi quaeque gerantur,
admixtum quoniam semel est in rebus inane.

Quae quia intelligi non possunt, v. 568 *quo pacto fiant* — R. Bentleius deleri iussit, Lachmannus post v. 585 *crescendi rebus constat vitamque tenendi* collocavit. Sed sententiam hanc esse necesse est, ut Lucretius, si solidas quasdam atomos, quae aeternae sint, non fiant, esse crediderimus, explicari posse dicat, quomodo eveniat, ut, quaecunque fiunt, mollia sint. Itaque vix ita effugere poterimus, quin *reddi* eadem vi positum esse existimemus, qua *fieri* latine dicitur: verum formae activae verbi, quod est *reddere*, cum saepissime fere idem significent, quod *facere*, passivas (praeter participium perfectum) sic non usurpari, sed *fieri* earum vicibus fungi constat, ut similis ratio sit verborum *reddere* et *fieri*, atque *perdere* et *perire*, *vendere* et *venire* (Struvius de declin. et coniug. lat. p. 85 sqq. Lachmannus mus. rhen. 3 p. 613 sqq. ad Lucret. p. 121). Ne Lucretius quidem, quanquam 1, 572 dixit *non poterit ratio reddi* et 6, 998 *facile hinc ratio reddetur* et 4, 107 *similes reddantur cuique figurae,* illud alterum admisit, ita ut etiam ob hanc causam 1, 209 D. Lambini coniectura *et manibus meliores reddi fetus* ferri non possit. Rectissime igitur I. Bernays praef. p. VIII. aliam viam ingressus est. Versum enim 568 eo, quo in libris est, loco retinuit et *reddi* v. 566 ea vi a poeta dictum esse vidit, qua 2, 179 et 5, 197 dicere ausus est:

hoc tamen ex ipsis caeli rationibus ausim
confirmare aliisque ex rebus reddere multis,

h. e. *reddere rationem,* ut deinde v. 572 accurate respondeant verba: *non poterit ratio reddi.* Neque tamen video, quomodo res ipsae reddi possint, quomodo molles fiant. Nimirum legendum est *possit,* ut sensus verborum hic sit: cum corpora solida constant, reddi potest, quo pacto mollia fiant,

quaecunque fiunt. Hac ratione videtur etiam eis dubitationibus satisfactum esse, quas Fr. Susemihl philologi 14 p. 554 protulit.

Th. vero Bergkius (l. d. p. 319) etiam aliis locis notas quasdam Valerii Probi in codice victoriano superesse existimat. Nam cum ad 2, 578—580. 4, 1065 *Nec Veneris fructu* —. 5, 1115 *quod si quis* — hanc notam, quam a xylographo redditam hic addo, in mg. appositam esse vidisset (eadem etiam 6, 35 reperitur), videbatur sibi notas X et ωρ (cf. Isidorus 1, 20) coniunctas agnoscere. Ac de altera, quae est X, cum eo consentio (cf. H. Schrader de notatione critica etc. p. 16 sqq.), sed altera cum ea coniuncta dubitari non potest quin ωρ sit, de qua nota in cod. laurent. (59, 38 fol. 428 verso) saeculi quinti decimi C. Wachsmuthius in mus. rhenan. vol. 18 p. 180 haec tradita esse retulit: *τὸ ὡραῖον τέτακται, ἐν οἷς χωρίοις ἢ φράσις κεκαλλώπισται ἢ τὸ νόημα ἐξήνθισται ἢ καὶ ἀμφότερα ὑπεραίρεται.* Neque vero eas notas ad Valerium Probum pertinere neque antiquas esse concedi Bergkio potest, nam Pluygersio teste ne harum quidem in codicibus oblongo et quadrato ullum vestigium exstat. Etiam has igitur a Marullo appositas esse persuasum habeo, homine graeco, quem notas illas eo ipso saeculo, quo quae supra attuli in codice laurentiano scripta sunt, bene novisse non est cur mireris. Ac si locos, quibus notae appositae sunt, accuratius inspicimus, eos omnes ita comparatos esse invenimus, ut memorabilem sententiam contineant, quae vel gravitate sua vel venustate animum Marulli tetigisse iure dici possit.

Quae vero paullo ante de versibus 1, 551—634 a Marullo aliter ordinatis ita disputavimus, ut etiam nobis Lucretium alium eorum ordinem videri instituere voluisse diceremus, fortasse fidem faciunt ne primum quidem librum, quae fuit C. Lachmanni sententia (p. 62), ab eo prorsus absolutum relictum esse, cum praematura morte abriperetur, sed schedas singulares etiam huic libro additas fuisse, in quibus poeta quae addenda viderentur exarasset, eas vero deinde non suo loco insertas esse. Eam igitur rationem, qua Lachmannus admirabili plane sagacitate docuit, schedis illis singularibus haud recte additis factum esse, ut nunc in Lucretii carminibus ordo sententiarum aliquando interruptus aut eadem sententia bis tractata esse videatur, etiam ad librum primum pertinere existimaverim. In libro quarto vero et quinto maxime id accidisse cum Lachmannus argumentis eis, quae ad persuadendum fere omnibus locis idonea sint, demonstraverit, unum praeter eos, quos Lachmannus tractavit, libri quinti locum eodem modo comparatum esse existimo. Quae enim vv. 1202—1238 habentur, eis uberius sententia exposita est, quam poeta v. 1187 et eis qui proxime sequuntur breviter adumbraverat. Atque ita hi versus comparati sunt, ut enthymema de metu deorum eis effecto, quae in coelo vel per rerum naturam reliquam admirabilia et terribilia sensibus usurpamus, prorsus absolutum in se contineant. Per se illi gravissimi sunt et poeta dignissimi: nisi quod Lachmannus v. 1228 eum post v. 1227 addi voluisse recte negat: sed hoc loco post ea, quae v. 1192—1195 continentur, apti non sunt. Eadem igitur eorum ratio est, ac v. 109—234. 509—533. 1089—1158. 1377—1433. Nam his demum schedis cum Lachmanno omissis, quae in hoc libro universo explicantur, eis conveniunt, quibus poeta ipse

inde a v. 65 suo more indicat, quas res quo ordine tractaturus sit. Illis, quos dixi, versibus seclusis nihil desiderari, sed ab eis, quae de deorum metu usque ad v. 1201 dicta sunt, transitum ad auri ferri aliorum metallorum investigationem primumque usum v. 1239 formula *quod superest* fieri aptissime haud facile quisquam negaverit.

Pauca quaedam alia addam, quae aliquo modo cum Marulli diorthosi cohaereant. Ac primum quidem in scheda singulari, quae 5, 1089—1158 continet, paullo post notam illam, quam Marullus v. 1115 apposuit, in vv. 1129 sqq. sententiarum ratio non constat. De ambitiosis poeta dicit:

angustum per iter luctantes ambitionis:
invidia quoniam ceu fulmine summa vaporant
plerumque et quae sunt aliis magis edita cumque.
quando quidem sapiunt alieno ex ore petuntque
res ex auditis potius quam sensibus ipsis.
nec magis id nunc est neque erit mox, quam fuit ante.

Haec sensu carere et R. Bentleius viderat, qui vv. *invidia* — et *plerumque* — deleri voluit, et C. Lachmannus vidit, qui eosdem post v. *nec magis* — transposuit, eumque secutus est I. Bernaysius. Sed cum verba *nec magis id nunc est neque erit mox quam fuit ante* non possint nisi ad sententiam v. 1119 sq. propositam pertinere:

ut fundamento stabili fortuna maneret
et placidi possent opulenti degere vitam,

hic versus, quo loco in codicibus omnibus habetur, a Lucretio neque ipse positus esse nec cum eis, quos Lachmannus addi voluit, coniunctus fuisse potest. Ne quis vero hos versus post v. 1122 *certantes* — transponendos esse coniiciat, similitudo sententiarum prohibet. Nam apparet post versum 1122 *certantes* eodem iure parilique fere sententia pro v. 1123. 1124:

et tamen e summo quasi fulmen deicit ictos
invidia interdum contemptim in Tartara taetra.

subiici potuisse versus *nec magis* –, *invidia* —, *plerumque* —. Quare etiam hoc loco accidisse videtur, quod saepissime Lachmannus factum esse docuit, ut, cum duobus modis Lucretius eandem sententiam versibus inclusam in chartis adnotasset, utra forma praestare videretur postea iudicaturus, Q. Cicero, cum chartas poetae ad se delatas recenseret et ordinaret, utramque coniunctam daret.

Versus 1007 sq. in Oblongo sic habentur:

illi prudentes ipsi sibi saepe venenum
vergebant, nudant sollertius ipsi.

Idem in Quadrato, nisi quod *solertius* habet. Victorianus a pr. m.

illi prudenter ipsi sibi saepe venenum
vergebant, nudant sibi solertius ipsi,

Marullus vero correxit:

illi imprudentes ipsi sibi saepe venenum
vergebant, nunc dant letum solertius ipso.

(*nunc dant letum* cum Antonio Marii filio). Iuntina, quod Lachmannus Marullo tribuit: *nunc dant aliis solertius ipsi*, cum Pontano, ut videtur. Lach-

[illegible] *solertius ipsi*, h. e. [illegible] ut haec [illegible], quae praecesserunt contra nunc [illegible]. Sed [illegible], quum haec iis opposita sint, quae proxime [illegible]. [illegible] homines olim sibimet ipsis venenum miscuisse imprudentes dicuntur, nunc dicendi sunt consulto aliis dare. Id videntur I. Bernaysius et L. Grasbergerus (de Lucretii Cari carmine. Monachii 1856) p. 59 secuti esse. Quorum ille *nunc dant aliis solertius ipsum* scripsit: recte *aliis* cum Pontano, sed quid *ipsum* sibi velit, non intelligo. Grasbergerus *at nunc tractant solertius ipsi*, quod a vestigiis codicum nimis recedit. Quare cum *ipsi* fuisse in codice archetypo certo constet, scribendum esse dico: *nunc dant aliis solertius isti*. — Paulo ante Lucretius, in eadem sententia explicanda occupatus, in summa olim omnium rerum inopia non plures quam nunc mortalium morte absumtos esse, postquam singulos tum a feris deprensos esse dixit, pergit v. 992: *at quos effugium servarat corpore adeso*, qui et ipsi tum mortem obiisse dicuntur (v. 995). Deinde demum eis, qui vel devorati a leone vel vulnerum vi et effectu singuli mortui sunt, per particulam *at* opponuntur milia multa eorum, qui nunc haud raro vel in pugna vel in naufragio pereunt. Quare v. 992 *ac* scribendum est. — In versu 1000 *nec*, quod omnes habent codices, ferri non posse nunc quidem haud facile quisquam negaverit. Lambinus *sed* substituit, quod ne ad sententiam quidem satis aptum est, cum ea quae sequuntur prioribus non opposita sint, sed mare non magis quam bellum tunc in homines saevire potuisse dicatur. Lachmannus *hic*, quod collatis 3, 1023. 5, 432 de tempore intelligendum esse dicit. Sed neuter locus huius, quem tractamus, prorsus similis est. Illo enim *fit*, praesens logicum, quod dicitur, efficit, ut *hic* tolerabile sit. Altero *tum* particula addita est: quanquam ne sic quidem puto *hic* ferri posse, sed *sic* legendum esse existimaverim. V. 1000 vero *ac* videtur poetae reddendum esse. — Denique v. 995 Lachmannus praeclare *donique* restituit, cum in codd. esset *denique*. Eandemque particulae formam vidit etiam 2, 1116. 5, 708 et 723 poetae reddendam esse. Sed constans Lucretii usus requirit, ut pro eo, quod et codd. omnes habent et Lachmannus tuetur, *privarant*, cum Th. Creechio *privarunt* scribatur.

Veritas est, quam cum in omni vita tum in literarum studiis homines summa virium contentione sequi oportet. Eo studio me permotum esse existimatote, commilitones humanissimi, ut Michaeli Marullo suum restituere conarer, eodemque studio ut vos aliquando incensi agatis, quaecunque agetis, nunc acerrimo et indefesso in literis tractandis labore efficere enitimini.

Gottingae pridie Kalendas Augusti a. MDCCCLXIV.

INDEX SCHOLARUM

PUBLICE ET PRIVATIM

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

PER SEMESTRE AESTIVUM

A D. XV. M. APRILIS USQUE AD D. XV. M. AUGUSTI
A. MDCCCLXXX

HABENDARUM.

Hermanni Sauppii quaestiones lucretianae additae sunt.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT.

VIL. FR. KAESTNER.

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE
PRORECTOR
THEODORUS LEBER
C U M   S E N A T U.

Mirum est, quanta vi carmen Lucretii animos non prorsus hebetes commoveat et teneat. Nam quanquam placita Epicuri veritatis igniculos, quibus distincta esse videantur, errorum caligine exstinguunt et ieiunitate eorum, quibus poeta lampsaceni doctrinam philosophi civibus suis explicare atque animos humanos a mortis atque deorum metu vindicare studet, haud raro fatigamur, spirare tamen per omnia non tantum magni vim ingenii, sed etiam gravitatem animi generosi facile sentimus. Neque enim eum in versibus pangendis sibi placuisse, sed quae diu cum animo suo sollicitus ipse et anxiis curis agitatus volvisset literis mandare et artis lenociniis commendare aliis voluisse intelligimus. Nam quaecunque animos hominum gaudio permulcere felicitatisque sensu imbuere possunt tam lucidis coloribus describit ac tamen sempiternis eos curis exagitari ita queritur, ut omnia ipse expertus et perpessus esse videatur. Omnia in peius ruere et finem omnium rerum prope instare dictitat. Neque Epicuri videtur praeceptis haec anxietas et maestitia re vera sublata esse, sed laudibus illius splendidis et exaggeratis eum sopire magis et reprimere quae ipsius animum turbarent voluisse, quam veram animi sententiam exposuisse putaverim. Quare ne illa quidem, quae Hieronymus ad annum Abraami 1923 vel 1922 (= Ol. 171, 3 vel 2 = a. u. c. 660) de insania eius tradidit, fide indigna esse iudicaverim.

Cum ita praemiserim, cur mihi eorum quae ad vitam Lucretii pertinent accurata cognitione opus esse videatur, si quis carmen eius recte intelligere velit, facilius excusatum iri spero, quod hoc scriptionis academicae officio utor, ut primum denuo de anno eius natali breviter exponam. Ac testimonia veterum, quibus in ea quaestione utendum est, haec sunt. 1. Hieronymus l. d.: *Titus Lucretius poeta nascitur . postea amatorio poculo in furorem versus cum aliquot libros per intervalla insaniae conscribsisset quos postea Cicero emendavit, propria se manu interfecit anno aetatis* XLIIII . quae in codd. AF ad a. 1922, in BP ad a. 1923 (= 660 a. u. c.) adscripta esse A. Schoene testatur. 2. In glossario quodam cod. monacensis 14429 Hermannus Usener haec adnotata invenit: *·Titus lucretius poeta nascitur sub consulibus · añ XX u. II añ uirgilium* (Mus. rhenan. 22 p. 444, cl. 23 p. 679). 3. Donatus in vita Vergilii p. 55 (Suetoni reliquiae ed. Reifferscheid): *initia aetatis Cremonae egit* (Vergilius) *usque ad virilem togam, quam* XV *anno natali*

suo accepit isdem illis consulibus iterum duobus quibus erat natus, evenitque ut eo ipso die Lucretius poeta decederet. Cremona Mediolanum et inde paulo post transiit in urbem. Natum vero Vergilium Cn. Pompeio Magno M. Licinio Crasso esse, h. e. anno u. c. 684, Donatus l. d. p. 54 et Hieronymus (cod. P) ad a. 1948 (= Ol. 177, 3 = 684 u. c. = 70 a. Chr.) referunt. Eosdem consules iterum fuisse a. 699 (= Ol. 181, 2 = 55 a. Chr.) fasti docent. Lucretium igitur a. 699 mortuum esse Donatus tradidisse censendus est, nam quod Hieronymi codices in annorum notatione, ad quos Virgilium natum esse et virilem togam sumsisse (ad a. 1963 vel 1964) retulerit, non prorsus inter se consentiunt, hic non est opus accuratius exponi. Sequitur, ut haec testimonia non inter se conveniant: nam qui a. 660 natus fuit, a. 699 undequadraginta annos compleverat, quadragesimum agebat, cum Hieronymus eum quadraginta quatuor annos natum mortem obiisse perhibeat. Has rationes alii alio modo putare conati sunt. Lachmannus quidem (ad Lucret. p. 62) Angeli Mai editionem secutus Lucretii diem natalem ab Hieronymo recte ad annum Abrahami 1918 = 655 u. c. referri existimat, ita ut a. 699 annum aetatis quadragesimum quartum expleverit. Atque multis Lachmanni sententia vera esse visa est. Nunc Hieronymi libris ab A. Schoene accuratissime collatis constat numeris editionis A. Mai nihil fidei tribuendum esse. Alio vero modo Lachmanni sententiam leviter mutatam H. Usener l. d. probare studuit. Consulum enim a. 660 et 656 u. c. nomina similia ab Hieronymo confusa esse putat, ita ut pro Q. Caecilio Q. F. Q. N. Metello Nepote T. Didio T. F. Sex. N. consulibus a. 656 C. Coelium C. F. Caldum L. Domitium Cn. F. Cn. N. Ahenobarbum consules a. 660 eos fuisse falso opinaretur, quorum anno Lucretius natus esset. Hac igitur Useneri coniectura Lucretium a. 656 natum, a. 699 mortuum esse existimantis efficitur, ut Donatus vera narraverit et annum aetatis Hieronymus recte tradiderit, sed annum quo natus esset falso indicaverit. Quam coniecturam cum G. Bernhardy hist. lit. rom. §. 86 adn. 397 probaverit, Fridericus Polle (Philologi vol. 26 p. 560 sqq.) impugnavit, qui iam antea (Philologi vol. 25 p. 499 sqq.) ab Hieronymo et annum natalem et aetatis annum, quo mortuus esset, recte indicatum esse dixerat, Donato fidem habendam esse negaverat. Itaque si hoc probamus poetam a. u. c. 660 natum, mortuum esse a. 704 existimandum est. Coniecturam enim opposuit coniecturae, ut cum testem alterum, cui fidem Lachmannus et Usener derogaverant, probet, alterum, cui illi fidem habuerant, falsi testimonii arguat. Quaerendum igitur est, num qui argumenta inveniri possint, quae vel alteram coniecturam veri similiorem vel neutram probabilem esse ostendant. Ac primum quidem quae Donatus narrat quin ad Suetonium referenda sint, dubitari non potest. Nam quae Hieronymus ad a. 1964 adnotavit: *Vergilius sumpta toga Mediolanium transgreditur et post breve tempus Romam pergit* tam similia sunt eorum, quae Donatus habet, ut ex eodem fonte hausta esse appareat. Neque in vita Vergilii, recisis eis, quae in codicibus antiquissimis non habentur, inest, quod Suetonio indignum esse iure dicatur, contra permulta sunt, quae fingi non potuisse, sed speciem veritatis luculentam prae se ferre videantur. Quod vero eodem die Vergilius virilem togam sumsisse et

Lucretius decessisse dicuntur, comparari non potest cum eis, quae Pollius 26 p. 564 similiter a veteribus ficta esse autumat. Nam si victoriae salaminia et himerensis vel plataeensis et mycalensis eisdem diebus reportatae esse dicuntur, trium tragoediae graecae principum memoria alius alio modo cum pugnae salaminiae die splendidissimo coniuncta fuisse fertur, Timoleo victorias suas omnes diebus natalibus suis reportasse narratur, haec omnia ita comparata sunt, ut res quam maxime insignes et claritate fere pares coniungantur, cum splendore suo Vergilius Lucretii si quae fuerat existimationem obscurasse videatur. Atque ad tempus illud, quod Vergilio togam dedit, illustrandum satis fuit, quod eisdem consulibus natus fuerat. Iustissimum igitur H. Useneri iudicium est de ea ratione, qua Pollius Donati narrationem impugnavit (23 p. 679). Sed contra Pollii coniecturam etiam aliud afferendum est. Notum enim est, quae in epistola Ciceronis ad Quintum fratrem l. 2, 9 (11) de Lucretii poematis scripta sunt, ita plerisque videri comparata esse, ut post mortem demum Lucretii scribi potuerint atque ita, cum eam epistolam ineunte mense Februario a. 700 datam esse constet, poetam ante a. 700 mortuum esse ostendant (cf. Fr. Buecheler ad Q. Cicer. reliqu. p. 23 sq.). Nam a Lucretio ipso carmen de natura rerum editum non esse manifesta indicia exstarent, etiamsi illud Hieronymi *quos postea Cicero emendavit* non nossemus. Cum autem quod Suetonius testatur pro vero non habere in carminis conditione ea, quae Lachmanno duce sensim sensimque magis cognita est, fere temerarium sit, nullam prorsus veri speciem habet, quod Pollius sumpsit, a vivo Lucretio particulas aliquas carminis cum amicis communicatas esse, sed nimis artificiose excogitatum est. *Poemata* vero a Cicerone schedae illae nondum ordinatae neque in unum corpus compactae recte dici poterant. Pollii igitur opinio probari non potest. Sed in eis quae contra Usenerum exposuit inesse quae recte monita sint, hic ipse musei rhen. 23 p. 678 concessit. Nam cum hic in Hieronymi codd. AF Lucretii natales ad a. Abrahami 1922, in B ad a. 1923, Vergilii in F ad a. 1946, in P ad a. 1947, in AB ad a. 1948 adnotatos inveniret, ab Hieronymo consules a. 1923 = a. 660 ab u. c. cum consulibus a. 1919 = 656 ab u. c. confusos esse coniecerat, ita ut inter annos 1948 et 1919 intervallum undetriginta annorum esset, eumque ipsum numerum a glossographo scriptum fuisse, cui restituendum esset *anno* XXVIIII *ante Vergilium*, a glossographo enim et eius auctore natalem Lucretii rectius adnotatum fuisse quam ab Hieronymo. At Pollius l. d. p. 563 quae a glossographo de Ovidio et Vergilio tradantur Hieronymo deberi dicit, itaque etiam quae de Lucretio adnotata sint, ad Hieronymum referenda esse, quod si sumatur, inter a. 1948, ad quem annum in codd. AB natales Vergilii referantur, et a. 1922, cui in codd. AF natalis Lucretii tribuatur, 27 annos interesse, dummodo, quod saepe factum sit, primum et ultimum annum computando additum esse concedamus, eumque ipsum annum apud glossographum exstare. Vere igitur natalis anni Lucretii numerum ab Hieronymo traditum esse, Donatum falsa et ficta referre. Usenerus igitur numerum glossographi ex numeris hieronymianis pendere Pollio concessit (mus. rhen. 23 p. 679 sq.), sed numerum illum undetricenarium non constare dicit, nisi Vergilium a. 70 a. Chr. natum esse su-

mamus, in Hieronymi vero codd. ABFP (AB 2016—1948 = P 2015—1947 = F 2014—1946 = 68) inter annum, cui incarnatio domini tribuatur, et annum eum, ad quem natalis Vergilii referatur, non septuaginta annos, sed duodeseptuaginta interesse, videri igitur glossographum vel eius auctorem potius codice Hieronymi usum esse, qui pariter ac F 1946 annum natalem Vergilii, 1922 Lucretii esse voluisset, ut viginti quatuor anni interessent, eumque numerum glossographo reddendum esse, XXIIII, pro eo, quod in codice est, XXVII. Suam de anno Lucretii natali coniecturam ea re nullo modo tangi. Sed glossographum vel eius auctorem, etsi eum Hieronymi libro usum esse concedimus, praeter eum etiam alio fonte usum esse, et vocabulum, quod est *consulibus*, et alia quaedam indicia arguunt. Nam propter similitudinem sermonis Hieronymi, quem Suetonio sua debere nunc fere omnes consentiunt, et quia de alio fonte, ex quo de literarum latinarum historia quae apud posteriores tradantur vel hausta sint vel hauriri potuerint, nihil constat, non incredibile esse existimaverim fontem illum glossographi alterum Suetonii librum fuisse, quanquam plures derivationis gradus interpositos fuisse facile concedo. Consules igitur illi, quorum nomina per negligentiam nobis ingratissimam omisit, fide Suetonii niti videntur: nam Suetonium haud raro consulum nominibus usum esse, ut annos indicaret, vitae Vergilii (p. 54. 55. 63), Terentii (p. 32), Accii (p. 36), Horatii (p. 48), Persii (p. 72) ostendunt. Quinam vero illi consules fuerint, fortasse ita erui potest. Glossographus de Vergilio haec habet: *Virgilius natus est ante incarnationem dñi · anñ. · LXX · moritur anno · XVII ·* Septuaginta anni, si sequimur numeros Hieronymi, non intersunt, nisi cum codd. AB incarnationem domini ad a. 2016, Vergilii natales cum cod. F ad a. 1946 referimus, quod quam parum verisimile sit, non opus est accuratius demonstrari, praesertim cum alter numerus septendecim annorum conveniat numeris codicum AB Hieronymi, qui a. 2016 incarnationem, Vergilii mortem a. 1999 evenisse tradunt. Illi vero anni 70 constant, si fastos consulares sequimur: nam inter a. 754 varronianum ab u. c., a quo detrahi solent numeri annorum priorum, et a. 684, quo Vergilius natus esse perhibetur, 70 intersunt, cum in altero numero 17 annorum glossographus sane Hieronymum secutus esse dicendus sit, nisi XVIIII eum dedisse sumere volueris (754—19 = 735), quod ego quidem praetulerim. Iam si ab a. 684 annos 24 detrahimus, devenimus ad a. 660, quo Lucretium natum esse Hieronymus tradidit. Nam hunc numerum, qui est XXIIII, puto sane Usenerum recte apud glossographum restituisse (23 p. 680), cum quod in codice est, XXVII, quoquo modo rationem inieris, non conveniat. Sequitur, ut consensu Hieronymi, Donati, glossographi natales Lucretii ad a. 660, quo C. Coelius Caldus L. Domitius Ahenobarbus consules fuerunt, referendi sint. Neque Useneri coniecturam similia C. Lachmanni et M. Hauptii inventa satis tuentur. Nam consules a. 666 u. c., Cn. Octavium Cn. F. L. Cornelium Cinnam, quibus Hieronymus Catullum natum esse perhibet, et a. 677, Cn. Octavium M. F. C. Scribonium Curionem, quibus eum natum esse Lachmannus intellexit (M. Hauptii quaest. catull. p. 15 = Opusc. 1 p. 12), deinde consules a. 606, Sp. Postumium Albinum Magnum L. Calpurnium C. F. C. N. Pisonem Caesonium, quibus Hieronymus Lucilium natum

dicit, et a. 574, Sp. Postumium A. F. A. N. Albinum C. Calpurnium C. F. C. N. Pisonem, quorum consulatum Lucilii annum natalem fuisse Hauptii praeclara est coniectura (cf. L. Müller Lucilii p. 289. A. Schaefer annall. philol. 107 p. 72), facile confundi potuisse quis est, quin intelligat? Multo minus facile C. Coelii L. Domitii et Q. Caecilii Metelli Nepotis T. Didii nomina confundi poterant. Unum vero coniecturae, quam eis, qui Lucretium diligunt, ego probare studui, obstat, quod Hieronymus anno aetatis quadragesimo quarto mortuum esse addidit, nam qui a. 660 natus est, a. 699 mortuus, anno aetatis quadragesimo obiisse dicendus erat. In hoc numero igitur aut Hieronymum errasse aut librarios manum eius non recte servasse mihi sumendum est. Sed cum et H. Usener et Fr. Polle, ut suas opiniones tuerentur, non minus testimonia veterum scriptorum aut corrigere aut pro falsis habere coacti fuerint, coniecturis reliquorum meam multo faciliorem esse existimaverim.

Addo, quod cum ea quaestione, quam tractavimus, aliquo modo cohaeret. Nam Julius Jessen in libello, quo praeceptores gymnasii kiloniensis philologos Germaniae in ea urbe congregatos a. 1869 consalutarunt, p. 52 sqq. Lucretium ab Hieronymo cum L. Lucullo Pontico confusum esse suspicatur, nam a Plutarcho Luc. c. 43 Cornelii Nepotis auctoritatem secuto et Plinio N. H. 25 §. 25 (adde Aurelium Victorem de viris ill. 74) amatorio L. Luculli mentem alienatam esse narrari neque verisimile èsse eodem fere tempore duo homines illustres idem perpessos esse, sed cum uterque eodem fere tempore mortuus esset, Hieronymum facile haec duo nomina etiam aliis locis plus semel commutata confundere potuisse. Sed cum L. Lucullum ante annum 56 a. Chr. = 698 u. c. mortuum fuisse illa Ciceronis de provinc. consular. §. 22: *utinam etiam L. Lucullus illic assideret!* certissime comprobent, uno eodemque anno mortem utriusque relatam invenire vix potuerat neque Lucullum inter historicos a Suetonio commemoratum fuisse veri simile est. Ea vero, quae Hieronymus de carminibus per intervalla insaniae compositis dicit, quin iam Suetonius de insania poetae, non de imperatoris dixerit, dubitare nos non sinunt.

Sed ad aliud genus quaestionum transeamus. Quaeritur enim, num Lucretius particulas, quas uno nomine procliticas appellare licebit, hoc est, ita comparatas, ut per se vim non habeant, sed nisi cum eis, quae proxime sequuntur, coniunctae intelligi non possint, in fine hexametri collocasse existimandus sit. Ac poetae latini in ea re diversa secuti sunt. Apparet vero hoc aliquo modo cohaerere cum altera quaestione, utrum hexametros singulos suis quemque finibus terminandos esse an numerorum aliquando continuatione admissa versus hypermetros sive concatenatos, quo vocabulo Maximus Victorinus (Gramm. lat. H. Keilii 6 p. 222) usus est, fingi posse existimaverint. Ac similem esse hexametrorum dactylicorum et senariorum iambicorum rationem iure dici potest. Hypermetris igitur hexametris Ennium usum non esse reliquiae Annalium quae exstant veri simile reddunt, Vergilius si recte locos omnes collegi vicies eis usus est, sed ut longe plurimi adamata illa poetis inde ab Ennio particularum *que* duplicatione (*vocemque coloremque* Æ. 9, 647) efficiantur. Lucretius unum admisit 5, 846:

multa videmus enim rebus concurrere *debere*,
ut propagando possint procudere saecla.

Cf. Lachm. ad 2, 118. Apud Horatium bis (S. 1. 4, 96. 6, 102) invenimus, nam reliqui eius, qui comparantur, loci a vocabulorum licentia compositorum excusationem habent. In senariorum vero finibus neque Plautum neque Terentium elisionem literae vocalis admisisse nunc satis constat, nam locos Terentii, quos C. Lachmannus l. d. attulit, iure nunc correctos esse ex eis apparet, quae deinceps de vocabulis illis procliticis dicenda sunt. Nam comici latini omnino caverunt, „ne in versuum finem novi enuntiati initium incideret, praesertim si id aliqua coniunctione fieret“ (verbis F. Ritschl utor, proleg. Trinummi p. CCXCV). Atque rectissime ille multo magis id a senariis abhorrere addidit, particulas igitur, quales *et*, *aut*, *ut*, *ne*, *nec* essent, ferri in exitu senariorum non posse. Terentium quidem et harum similiumque particularum et praepositionum usum in pedibus senariorum sextis constanter defugisse C. Conradt in Hermae berolinensis vol. 10 p. 106 sqq. accuratissime ostendit. Quibus particulis deletis versus illi concatenati, quos commemoravimus, omnes tolluntur atque ne Andriae quidem creticum 4. 1, 9 neque trochaicum Eunuchi 4. 1, 11 cum Lachmanno ferendos esse censeo, sed illum *et timent et tamen res premit denegare* ab interprete adscriptum esse A. Fleckeisen vidit ad eum, qui praecedit: *tum coacti necessario se aperiunt*, nam, qui optimi sunt in Andria, codices Victorianus D et Decurtatus G habent, quo haec coniectura certissime confirmetur: in illo est *res cogit eos denegare*, in hoc *res premit eos denegare.* Quod A. Spengel substituit: *et timent denegare: et tamen res premit* et a codd. optimorum vestigiis nimis recedit neque quidquam addit, quod non in priore versu insit. Eunuchi vero versum Franc. Guyet deleta voce, quae est *exclamat*, facilius restituit quam G. Hermannus, qui cum in codicibus esset:

voluit facere contra huic aegre: ‚heus' inquit ‚puere, Pamphilam
accerse, ut delectet hic nos'. illa exclamat „minume gentium.“

scribi voluit:

facere contra huic aegre: ‚heus' inquit ‚puer, accerse Pamphilam,
ut delectet hic nos'. illa exclamat „minume gentium.“

Sed ut ad coniunctiones illas redeam, ne Vergilius quidem eis in fine versuum unquam usus est, quanquam praepositiones bis terve ita posuit, ut versum priorem claudant, incipiant proximum substantiva, ad quae pertinent: Æ. 1, 667: *omnia circum* | *litora* et 10, 890: *et inter* | *bellatoris equi cava tempora coniicit hastam.* Quare N. Madvigii coniectura, qui (advers. crit. 2 p. 38) addita particula *et* Æ. 6, 601:

Quid memorem Lapithas, Ixiona Pirithoumque, et
quo super atra silex iamiam lapsura cadentique
imminet adsimilis.

scribi iussit, ferri non potest. Accedit vero ad particulam procliticam contra Vergilii consuetudinem illatam, quod paullo post v. 616 sq. poena Ixionis commemoratur. Quare mihi quidem O. Ribbeckii sententia (prolegom. p. 62) de hoc loco probabilis videtur esse. Horatium contra multo in his rebus liberiorem fuisse intelligimus. Nam et praepositiones in pede sexto posuit,

ut S. 1. 10, 69. 70: *ultra* | *perfectum*, 2. 1, 1: *ultra* | *legem*, et coniunctionibus saepissime eo loco usus est. *aut* enim invenitur S. 2. 2, 18. *seu* S. 2. 2, 86. E. 2. 1, 194. *nec* E. 1. 7, 35. 16, 12. *et* S. 2. 2, 58. 5, 97. 8, 92. E. 1. 2, 30. 6, 31. 34. 7, 27. 14, 2. 16, 76. 17, 19. 18, 50. 2. 2, 3. A. P. 270. *atque* in satiris vicies semel, in Epistolis octies, in Arte poetica ter. *atqui* S. 2. 5, 7. E. 1. 17, 38. *si* S. 1. 4, 103. 9, 38. 57. E. 1. 17, 3. A. P. 52. 131. *ni* S. 1. 9, 48. *quodsi* E. 1. 19, 17. 2. 1, 241. *quod* E. 2. 2, 24. A. P. 222. *cur* E. 1. 1, 69. 2, 37. *ut* A. P. 12. *donec* E. 18, 63. *an* S. 1. 1, 50. Neque vero cum A. Michaelis consentire possum, qui commentat. philol. in Th. Mommseni honorem scriptarum p. 422 codd. blandinios aliosque antiquissimos, quorum testimonia O. Keller apposuit, secutus in Artis poeticae v. 49 *et* addi voluit. Versus hi sunt:

si forte necesse est
indiciis monstrare recentibus abdita rerum, e t
fingere cinctutis non exaudita Cethegis
continget dabiturque licentia sumta pudenter,
et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si
graeco fonte cadent parce detorta.

Dubitari non potest, quin poeta duo genera novorum vocabulorum probatum iri existimaverit, unum eorum, quae necessitas rei monstrandae nondum ab aliis nominatae expressisset, alterum modesta arte e graeco sermone in latinum translatorum. Nam quo minus verba *si forte necesse est indiciis monstrare recentibus abdita rerum* protasin esse putemus, quam apodosis bimembris sequatur (*et continget — et habebunt*), quod Michaelis voluit, prohibent verba *nova fictaque nuper.* Si enim haec eadem essent, atque ea, quae prioribus versibus necessitate duce noviter facta esse dicta sunt, hic ita tantum ea se existimatoribus sermonis latini probatura esse adderetur, ut e graeco fonte hausta essent. Hoc ab Horatii sententia alienum esse verba interposita *dabiturque licentia sumta pudenter* ostendunt, quibus de eis, quae praecedunt, idem poeta promittit, quod deinde verbis *habebunt fidem* continetur. Sin verbis *nova fictaque nuper* ad aliud genus novorum vocabulorum transitur, *et* in v. 49 addi non potuisse apparet recteque in codicum familia mavortiana deest. Quae si vera sunt, ne Madvigii quidem coniectura sententiae accommodata est, qui advers. 2 p. 62 in versu 52 ante *si* addi *et* voluit. Neque enim Horatius omissa ea particula „ea, quae graeco fonte caderent, nova nuperque ficta dixit“ ut ipsis Madvigii verbis utar, sed hic nova, noviter ficta non eis opposuit, quae e graeco sermone hausta essent, sed a priore genere verborum novorum, quae placitura essent, hoc est eorum, quae necessitas expressisset, alterum distinxit a Graecis sumtorum, sive ea nuper ficta essent sive, qui novum carmen pangeret, tunc demum ficturus esset. Quae si recte explicavi, etiam L. Muelleri coniectura in editione altera recepta *seu* (cf. eius praefat. p. LXVIII) sententiae non accommodata est. Sed E. 1. 6, 31 *virtutem verba putas et lucum ligna* Horatium scripsisse certissimum est, ut quod in paucis quibusdam codicibus neque illis bonis traditum nuper editoribus nonnullis placuit, *ut*, pro interpretamento habendum sit. Haec omnia vero de vocabulis procliticis exposui, ut quid in his rebus Lucretius

secutus esset compararetur, cum homines doctos complures re non satis explorata errore duci animadvertissem. Omnia vero ea observando complexus sum, quae L. Mueller in libro de re metrica poetarum latinorum p. 232 sq. eruditissime exposuit. Relativo igitur pronomine Lucretius in fine versuum saepe utitur: *quae* 3, 546. 815. 5, 9. 362. 851. *cui* 2, 17. *quorum* 1, 242. 456. 684. 2, 537. *id quod* 2, 925. *unde* 2, 428. 3, 1053. — Interrogativum semel reperitur 3, 642. — *eius* 6, 421. 694. 5, 627. *eorum* 5, 870. 988. 1173. — *neque ullam* 1, 690. *ullo* 2, 235. *ulla* 2, 912. *ullis* 5, 955 (1, 263 *nec ullam*, sed Iulius Iessen (l. p. 7 indicato) recte ante vocales Lucretium non usum esse iudicavit nisi forma *neque*). *sine ullis* 1, 1054. *sed illud* 1, 877. — *quom* 3, 89. 221. 1048. 4, 615. 936. 5, 1069. 6, 896. *dum* 2, 1125. *si* 6, 161. — *quod* 2, 799. 5, 1170. 6, 861. *ut* 3, 723. *utque* 6, 1005. *priusquam* 6, 917. *magis quam* 1, 738. 2, 57. 5, 111. 6, 37. *proquam* 3, 199. *quanquam* 2, 204. — *iam* 1, 613. *tum* 6, 288. 402. *autem* 1, 857. 4, 150. 6, 779. 3, 559 (etiam hoc loco *neque autem*, quod reliquis locis adscriptis et 5, 366 legitur, cum I. Iessen l. d. restituendum est). — *cum* (praepositio) habetur 3, 665. 6, 279. *in*, cum 3, 703 in codicibus deesset, Michael Marullus certa coniectura addidit. Quae omnia quanquam Lucretium cum libertate aliqua in versibus hexametris coagmentandis versatum esse ostendunt, nunquam tamen eum particulas *et*, *atque* (*ac*), *at*, *aut* in fine versuum neque post consonam neque post vocalem literam, cum qua coalescerent, nunquam *sed*, *vel*, *seu* post consonam posuisse certo constat. De *et* particula idem iam Lachmannus dixit ad 2, 502. Quod igitur Tanaquillus Faber 1662 et post eum iterum N. Madvig adversar. crit. 2 p. 22 opinati sunt 1, 557 sq. scribendum esse:

quapropter longa d i e s e t
infinita aetas ante acti temporis omnis
quod fregisset adhuc disturbans dissoluensque,
nunquam relicuo reparari tempore posset.

id poetae manum referre concedi non potest, quanquam sententiae quam optime convenit et recte H. Munro v. 233 contulit: *omnia enim debet, mortali corpore quae sunt, infinita aetas consumpse ante acta diesque.* In codd. est *longa diei*, quod quomodo ceterorum compagi verborum accommodari possit et explicari non intelligo. Lachmannus nihil adnotavit, H. Munro quae ad ea verba explicanda adscripsit: ‚quod longa diei aetas, hoc est infinita aetas anteacti temporis', ne ipsi quidem sufficere videntur. Quare sententiam, quam omnes unam huic loco convenire existimant, sic puto restitui posse:

quapropter longa d i e s i n
infinita a e t a t e ante acti temporis omnis c. q. s.

diem aliquando fere pro *tempore* dici et loco Lucretii altero et aliorum testimoniis scriptorum ostendi potest. Sic apud Ennium Ann. v. 110 V.: *aeternum seritote diem concorditer ambo* (Hersiliae verba sunt Romulum et Tatium adhortantis: cf. I. Vahlen p. XXXVIII) et 401: *postremae longinqua dies confecerat aetas.* Turpilius v. 157: *quando équidem amorem intercapedine ipse lenivit dies.* Terentius Heaut. 3. 1, 13: *diem adimere aegritudinem hominibus.* Cicero ad Att. 3. 15, 2: *dies autem non modo non levat luctum*

hunc, sed etiam auget. Horatius 3. 6, 45: *damnosa quid non imminuit dies?* A. P. 293: *quod non multa dies et multa litura coercuit.* Statius Silv. 1. 1, 94: *stabit dum terra polusque, dum romana dies.* Distinguitur vero a Lucretio eo loco quem tractamus diuturnitas, qua res singulae consumuntur, a temporum decursu universo, quo illa diuturnitas quodammodo continetur. Denique de libri 4 v. 416 dicendum est. Ubi cum codex oblongus habeat:

nubila despicere et caelum ut videare videre
corpora mirande sub terras abdita caelo,

Lachmannus violenta coniectura versibus transpositis scribi voluit

ut prope miraclo sub terras abdita caeli
nubila dispicere et caelum videare videre,

I. Bernays lenius Lambini (*et, caeli*) et Lachmanni (*dispicere*, *miraclo*) coniecturis partim probatis partim reiectis

nubila dispicere et caelum ut videare videre et
corpora miraclo sub terras abdita caeli.

Et particulam ferri non posse et E. Goebel observatt. lucret. p. 36 sqq. vidit et Th. Bergk ind. schol. halens. 1865 p. VI, sed uterque coniecturis opus esse censuit haud ita lenibus, cum mihi in eis, quae oblongus habet, nihil mutandum esse videatur, quam *dispicere* cum Lachmanno, *mirando* cum Marullo, *caeli* cum Lambino, ut sententia haec sit: ut tibi videaris nubila dispicere et caelum videre, mirans corpora caeli sub terras abdita esse. De gerundio sic usurpato in Philologi vol. 19 p. 253 sqq. exposui et, ne Lucretius sic eo non usus esse videatur, conferri 4, 1201 velim.

Denique hac commentandi occasione utor, ut prooemium libri primi inde a v. 38 usque ad v. 150 eo ordine proponam, quem poeta instituisse mihi videtur, causis et rationibus, quibus ut eum probarem commotus sum, non expositis. Experiri enim velim, num haec recensio se per se ipsa tueatur: fortasse enim hoc ita facilius impetrari potest, quam si operosa disputatione sententiam meam commendare studeam ordine versuum transpositorum non oculis proposito, sed opera molesta eius quaerendi lectoribus poetae iniuncta. Complura equidem ab aliis recte, ut mea est opinio, inventa secutus sum, quae qui Lucretium noverunt facile agnoscent. Lucretius igitur haec mihi videtur scripsisse:

hunc tu, diva, tuo recubantem corpore sancto
circum fusa super suavis ex ore loquellas
40 funde petens placidam Romanis, incluta, pacem:
nam neque nos agere hoc patriai tempore iniquo
possumus aequo animo neque Memmi clara propago
43 talibus in rebus communi desse saluti.
62 Humana ante oculos foede cum vita iaceret
in terris oppressa gravi sub religione,
quae caput a caeli regionibus ostendebat
65 horribili super aspectu mortalibus instans,
primum graius homo mortalis tollere contra
est oculos ausus primusque obsistere contra:
quem neque fana deum nec fulmina nec minitanti

murmure compressit caelum, sed eo magis acrem
irritat virtutem animi, confringere ut arta
naturae primus portarum claustra cupiret.
ergo vivida vis animi pervicit et extra
processit longe flammantia moenia mundi
atque omne immensum peragravit mente animoque,
unde refert nobis victor, quid possit oriri,
quid nequeat, finita potestas denique cuique
quanam sit ratione atque alte terminus haerens.
quare religio pedibus subiecta vicissim
opteritur, nos exaequat victoria caelo.

Quod super est, Memmi, vacuas auris animumque
semotam a curis adhibe veram ad rationem:
ne mea dona tibi studio disposta fideli,
intellecta prius quam sint, contempta relinquas.
nam tibi de summa caeli ratione deumque
disserere incipiam et rerum primordia pandam,
unde omnis natura creet res, auctet alatque
quove eadem rursum natura perempta resolvat,
quae nos materiam et genitalia corpora rebus
reddunda in ratione vocare et semina rerum
appellare suemus et haec eadem usurpare
corpora prima, quod ex illis sunt omnia primis.

Illud in his rebus vereor, ne forte rearis
impia te rationis inire elementa viamque
indugredi sceleris. quod contra saepius illa
religio peperit scelerosa atque impia facta.
Aulide quo pacto Triviai virginis aram
Iphianassai turparunt sanguine foede
ductores Danaum delecti, prima virorum.
cui simul infula virgineos circum data comptus
ex utraque pari malarum parte profusast
et maestum simul ante aras adstare parentem
sensit et hunc propter ferrum celare ministros
aspectuque suo lacrimas effundere civis,
muta metu terram genibus summissa petebat,
nec miserae prodesse in tali tempore quibat,
quod patrio princeps donarat nomine regem:
nam sublata virum manibus tremibundaque ad aras
deductast, non ut sollemni more sacrorum
perfecto posset claro comitari hymenaeo,
sed casta inceste, nubendi tempore in ipso,
hostia concideret mactatu maesta parentis,
exitus ut classi felix faustusque daretur.
tantum religio potuit suadere malorum.

Tutemet a nobis iam quovis tempore vatum
terriloquis victus dictis desciscere quaeres.
quippe etenim quam multa tibi iam fingere possunt
somnia, quae vitae rationes vertere possint
fortunasque tuas omnis turbare timore!
et merito: nam si certam finem esse viderent
aerumnarum homines, aliqua ratione valerent
religionibus atque minis obsistere vatum:
nunc ratio nullast restandi, nulla facultas,
aeternas quoniam poenas in morte timendumst.
ignoratur enim, quae sit natura animai,
nata sit an contra nascentibus insinuetur
et simul intereat nobiscum morte perempta,
an tenebras orci visat vastasque lacunas,
an pecudes alias divinitus insinuet se,
Ennius ut noster cecinit, qui primus amoeno
detulit ex Helicone perenni fronde coronam,
per gentis italas hominum quae clara clueret,
etsi praeterea tamen esse acherusia templa
Ennius aeternis exponit versibus edens,
qua neque permaneant animae neque corpora nostra,
sed quaedam simulacra modis pallentia miris:
unde sibi exortam semper florentis Homeri
commemorat speciem lacrimas effundere salsas
coepisse et rerum naturam expandere dictis.
quapropter bene cum superis de rebus habenda
nobis est ratio, solis lunaeque meatus
qua fiant ratione et qua vi quaeque gerantur
in terris, tum cum primis ratione sagaci
unde anima atque animi constet natura videndum
et quae res nobis vigilantibus obvia mentes
terrificet morbo adfectis somnoque sepultis,
cernere uti videamur eos audireque coram,
morte obita quorum tellus amplectitur ossa.

Nec me animi fallit Graiorum obscura reperta
difficile illustrare latinis versibus esse,
multa novis verbis praesertim cum sit agendum
propter egestatem linguae et rerum novitatem;
sed tua me virtus tamen et sperata voluptas
suavis amicitiae quemvis sufferre laborem
suadet et inducit noctes vigilare serenas,
quaerentem, dictis quibus et quo carmine demum
clara tuae possim praepandere lumina menti,
res quibus occultas penitus convisere possis.
principium cuius hinc nobis exordia sumet,
nullam rem e nilo gigni divinitus unquam.

Haec scripta sunt, commilitones humanissimi, ut ad indicem scholarum, quae proximis mensibus aestivis in hac alma literarum sede habebuntur, cognoscendum Vos invitent. Neque quidquam impensius optamus, quam ut eius ubertate quanto studio ei elaborandum sit denuo commoneamini, qui sibi aliquando ipse sufficere, civibus suis prodesse, ad cognitionem veri promovendam ipse aliquid proferre velit. Facite igitur, ut, si vel ad studia Vestra huc redieritis vel primum veneritis, scholis, quarum indicem Vobis tradimus, diligenter usi constanti animo et veritatis amore acri incensi vel primum tentetis vel ingens literarum iteretis aequor.

Scrib. in Georgia Augusta d. I. m. Februarii a. MDCCCLXXX.
